



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Ge
36
965


Ge36.965



Harvard College Library

FROM

Mrs. John H. Wright
Cambridge



1. The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions and activities. It emphasizes that proper record-keeping is essential for transparency and accountability, particularly in the context of public administration and government operations. This section also highlights the role of technology in streamlining record management processes and reducing the risk of data loss or corruption.

2. The second part of the document focuses on the implementation of robust internal controls and risk management frameworks. It outlines the need for regular audits and assessments to identify potential vulnerabilities and ensure that organizational policies are effectively enforced. This section also discusses the importance of employee training and awareness programs to foster a culture of integrity and ethical behavior within the organization.

3. The third part of the document addresses the challenges of data security and privacy protection in the digital age. It emphasizes the need for strong cybersecurity measures, including encryption, access controls, and regular security updates, to safeguard sensitive information from unauthorized access and cyber threats. Additionally, it discusses the importance of complying with relevant data protection regulations and ensuring that data is handled in a lawful and ethical manner.

4. The fourth part of the document discusses the importance of stakeholder engagement and communication in achieving organizational goals. It emphasizes the need for transparent and timely communication with all stakeholders, including employees, customers, and the public. This section also discusses the role of public relations and media management in building a positive organizational reputation and addressing any concerns or criticisms that may arise.

5. The fifth and final part of the document provides a summary of the key findings and recommendations. It reiterates the importance of a holistic approach to organizational management, one that integrates financial, operational, and ethical considerations. The document concludes by encouraging leadership to take decisive action on the recommendations provided and to continuously monitor and improve organizational performance over time.

de w. . . Regit
Ge 36.965

DE ALCESTIDE EURIPIDEA.

PRAEMISSA EST DE ARTE GRAECORUM SCENICA

BREVIS EXPOSITIO.


DISSERTATIONEM

SCRIPSIT

E. WILKEN.

BEROLINI 1868.

**APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM.
OBERWASSER-STR. 11.**



DE ALCESTIDE EURIPIDEA.

PRAEMISSA EST DE ARTE GRAECORUM SCENICA

BREVIS EXPOSITIO.

DISSERTATIONEM

SCRIPSIT

E. WILKEN.

BEROLINI 1868.

APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM.

OBERWASSER-STR. 11.

Ge36.965



Harvard College Library

FROM

Mrs. John H. Wright
Cambridge



[The page contains extremely faint and illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the document. The text is scattered across the page and cannot be transcribed accurately.]

Geometrie
Ge 36.965

DE ALCESTIDE EURIPIDEA.

PRAEMISSA EST DE ARTE GRAECORUM SCENICA

BREVIS EXPOSITIO.

DISSERTATIONEM

SCRIPSIT

E. WILKEN.

BEROLINI 1868.

**APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM.
OBERWASSER-STR. 11.**



DE ALCESTIDE EURIPIDEA.

PRAEMISSA EST DE ARTE GRAECORUM SCENICA

BREVIS EXPOSITIO.

DISSERTATIONEM

SCRIPSIT

E. WILKEN.

BEROLINI 1868.

APUD S. CALVARY EIUSQUE SOCIUM.

OBERWASSER-STR. 11.

36.965

1811

Gift of
Mrs. John H. Wright
Trust

DE ALCESTIDE EURIPIDEA.

**PRAEMISSA EST DE ARTE GRAECORUM SCENICA
BREVIS EXPOSITIO.**



Alcestis Euripidea cum ab antiquissimis temporibus viris doctis¹⁾ praeuisset disputandi materiam, nostris diebus aucta est contentio, siquidem publicato et edito per G. Dindorfum (ante hos fere XXX annos) memorabili scholio Vaticano apparuit, quartum tetralogiae locum obtinuisse eam fabulam. Inde alii aliam viam sunt ingressi: Glum²⁾ dissertatione elegantissima conatus est ostendere, non parvam cum fabulis Graecorum satyricis Euripidis Alcestin habuisse cognationem: quam sententiam postquam refragati sunt G. Hermann³⁾ et Firnhaber⁴⁾ mox maiore cum fiducia nec sine facetiis Köchly⁵⁾ protulit in medium; ita existi-

1) cf. historiam criticam Alcestidis fabulae, quam composuit Buchholz: de Alceste Euripidea, p. 2 sq.

2) De Euripidis Alceste. Berol. 1836. *

3) Dissert. ed. Monk. praem. — Praef. Cyclopis.

4) Censura diss. Glumianae. Zeitschr. für Alt. 1837 p. 417.

5) Literar. hist. Taschenbuch v. R. Prutz 1847.

mans quasi novi cuiusdam artis scenicae generis (quod quidem quodam modo successerit in locum satyrorum) princeps habemus exemplar Alcestin. Speciosam vero illam coniecturam Rauchenstein⁶⁾ et Bendixen⁷⁾ quom ad obrussam diligenter exegerint, ipsi minus profecere. Id quod cadit etiam in Buchholzium. Omnes enim tenentur Aristoteleis de tragoedia placitis: maxime vero cavendum est ne illic quoque nubem pro Junone amplectamur. Aristoteles enim et temporis spatio et animi indole longe distat ab illo quo florebat Graecorum tragoedia aevo: tum quamvis ille sit amicus, ut eius ipsius verbis utar, magis amica veritas. Quom igitur ad philosophi formulam minus possint adaptare V. V. D. D. nostram fabulam, modo singularem quandam fabularum speciem effingunt huius causa ingratae fabulae, modo non liquere causam iudicant. Nec nostratum philosophorum si excusseris libellos, invenes de rebus illis quae tibi e puro fonte veterum hausta videantur: mihi certe non satisfacit ista eruditio. Veniam ergo peto atque postulo, quom neglectis fere V. V. Cel. Cel. opinionibus quae ex Aeschylis Sophoclis Euripidis Aristophanis carminibus de finibus artis scenicae mihi ipse persuasi, strictim Vobis explanaturus sim. Quis autem neget, illos qui et tempore

6) Die Alceste des Euripides als besondere Gattung des griech. Drama. Arau 1847.

7) De Alceste Euripidis. Alton. 1851.

praecedant criticos, et-si dis placet-auctoritate in eius-
modi quaestionibus (nam ipsorum eorum res agitur)
primo loco nobis esse audiendos? Repetamus igitur
a capite gravissima quaeque eo pertinentia, ut et fines
cognoscamus et discrimina artis scenicae.

Ac primo quidem hoc monuerim, ne quom isdem
fere quibus veteres etiam nunc utamur in arte scenica
vocalibus, illud forte nos fugiat rerum tamen scenica-
rum condicionem longe aliam fuisse illis temporibus
ac nostris. Nos quidem tragoediae vocabulum ita in-
telligimus, quasi prorsus idem sit ac nostrum Trauer-
spiel, comoediam vero interpretamur Lustspiel atque
ita fere credimus quo modo atrum colorem candido,
eodem fere tragicum genus oppositum esse comico:
nec non iam Alexandrinorum grammaticorum tempo-
ribus similis quaedam opinio valuisse videtur. Neque
mirandum, nam hoc sexcenties videmus, temporum
cursu totam rerum condicionem commutari remanen-
tibus tamen propriis pristinae condicionis vocabulis.

Certe quo tempore inventum est *τραγῳδίας* nomen,
tragoedia nihil aliud erat nisi dithyrambus satyricus
in honorem Liberi cantatus (cf. Aristot. Poet. c. 4.
1449 a, 10 sq. 19 sq. § 12. 14.); dein introductis
actoribus, fabulis a Bacchi cultu alienis admissis, sa-
tyris fere reiectis prorsus nova quaedam ars evasit, quae
paulatim illa ipsa facta est quam nunc vocamus tragi-
cam. Quonam tempore factum sit illud *ἀποσεμνύνεσθαι*

(Poet. 1. c. l. 20 sq.), non quidem dictum est: constat autem Phrynichum atque Aeschylum satis iam exhibuisse illud *σεμνόν*, postea quod putabatur tragoediae proprium. Phrynichus quidem quom populum castigatūrus *οικεῖα πάδη* prodidisset poenas dedit publicas: quem tamen excepit et arte maior et virtute idem persecuturus consilium Aeschylus, quem iure tragoediae vocavere patrem. Pia colebat ille mente vatis Homeri memoriam: ac si humanas res omnes in Homeri carminibus suspensas vides e numine Jovis, Aeschylus Jovem Optimum Maximum et propinqua Jovis numina vindicare ab impetu superstitionis et augere virtutibus sinceris voluit. Ita factum est, ut non *πάθος* quoddam gravius, quo animos spectatorum retineret ac percuteret — id quod Choerilus et fortasse Thespis spectaverant — introduxisse, verum hoc potissimum egisse videretur in componendis fabulis: ut quaecumque mala vel hominibus singulis vel genti cuidam vel populo acciderant, apparerent quasi necessariae certe cuiusdam delicti poenae, quibus demum persolutis in gratiam liceret redire cum diis iniurias persequentibus. Nec non plurimae et optimae fabulae Aeschyleae (Persarum quidem fabula mihi non integra videtur esse servata) eiusmodi gratum exhibent exitum: constat quidem illud *δράσαντι παθεῖν*, *πάθος* autem ubi *μάθος* factum erit, deum deinceps gratia opitulatur sōntibus. Deorum autem iustitia non uno die confici-

tur, sed annorum saepenumero et saeculorum spatia requirit: quocirca Aeschylus tres tragoedias tam arte coniunxit, ut quasi tres eiusdem fabulae actus fierent. Tertia vero tragoedia sic fere comparata esse solet, ut nodum iusta laetaque ratione solutum ostendat: exempla sunt Hypermnestra capitis absoluta, Orestes, Prometheus solutus, urbs Thebarum servata. Neque aliter rem se habuisse opinor in deperditis fabulis.

Haud satis circumspecte mihi videtur de Aeschylo iudicasse Sophocles: *εἰ καὶ τὰ δέοντα ποιῆι, ἀλλ' οὐκ εἰδώς γε*. Nimirum ille quidem optime sibi persuaserat, cum in ipsa vita, tum in arte tragica primo loco colendum esse animum castum et sincerum et qui nil nisi bonum pro pulcro haberet: omnes autem quae extinguerent candidum illum et ingenium veritatis colorem artis blanditias pro fuco ac fallaciis esse habendas.

Imminuta dein magis magisque prisca pietate ac religione tragici quoque poetae non amplius summam artem respiciebant minoribus rebus maximam navantes curam. Initium facit Sophocles: qui quom non desinat modum ac modestiam suadere, celebrat tamen et admiratur naturam hominis (*πολλὰ τὰ θεῖα κ. τ. λ.*) plane diverso more ab Aeschylo. Haud ignoro equidem mutatas temporum condiciones: et quis negaverit animis altius penetrantibus vix potuisse satisfacere Aeschyleam rerum divinarum interpretationem. Homines quom

fas sit poenas dare scelerum, impune peccavit Jupiter. Sophocles ille εὐκολος qui comiter vivere maluerit quam in meditando desudare, non intellectam servasse satis habuit deorum auctoritatem. Tantum vero abest, ut iustae tragoediae habeamus exemplum Oedipum Regem, ut ne Aeschyleum quidem cothurnum aequavisse poeta dici possit. Licet haud innocentem finxerit ille Jocastae filium, minime tamen compensavit cum crimine poenam. Vel in optimis fabulis Sophocleis ambiguus quidam honestatis sensus deprehenditur: Antigonam respice! Chorus nescit quid potissimum suadeat, omnia ruunt ad perniciem: sero tandem adducitur caecus ille senex qui meliora doceat Creontem haud aliter ac deus quidam ex machina. Honestatis autem praecepta divinitus nobis omnibus sunt tradita, nec semper Tiresias praesto est quem consultemus. Aeschylus quanto melius rem instituit in Agamemnone, quom chorus nulla regii muneris ratione habita libero detestetur ore maculatam a patre filiam tamquam novum atque inauditum facinus. Eodem opinor pacto chorus ille Sophocleus debebat non multa verba facere de generis humani variis virtutibus, sed potius Creontem admonere, ne aeternas humanitatis leges suo imperio arbitrioque postponeret.

Euripides tum exstitit praeco melioris aevi. Is ad gravissimam iudici rationem res exigens divinas humanasque, non iam potuit in remissa illa temperantia,

quam Sophocles amplexatus erat, acquiescere: sed imminentem reipublicae ruinam eo studuit avertere, ut expulsis superstitionibus salutari quadam sapientia imbueret civium animos. Contigit tamen ei quod fere semper novarum rerum licet optimo consilio studiosis: finem et modum transiit. Nec desiit Aristophanes qui de re publica secus sentiret, identidem carpere istam sapientiam, quae etiamsi admodum fuit speciosa, tamen quom careret firmo religionum nostrarum fundamento, revera imbecilla erat et vacillans. Poetae illud: „Incidit in Scyllam dum vult vitare Charybdin“ multifariam dici potest de Euripide.

Dignitatis feminarum specimen haberi voluit Medeam: sed id quod effecit monstrum est. Non vitupero quod mactavit mater infantes: verumtamen adultero si poena sustinenda erat Iasoni, quanto maius supplicium meruit quae in suam ipsa prolem saeviverit. Quid vero poeta fecit? Feminarum causam agens mariti personam turpiter depressit prorsus neglecto innocentium iure infantium. Sic summum ius summa solet esse iniuria nisi suum cuique tribueris. Tragoediam autem esse eam fabulam vix puto, qua honestatis leges impune ac quasi per ludibrium laedantur.

Nam ut bellum non belli causa, sed quo pax honesta seguraque recuperetur, geri debet: eadem lege nisi quibus tranquillitas animi maior quaedam comparetur, dolores cruciatusque animorum haud debere ar-

bitror excitare poetam tragicum. Mors nonnunquam sola relinquitur medela malorum: et tunc quidem admittitur, ut pusillo damno adfectus homo sempiternam infamiam vel aeternum animi supplicium effugere, vel patriae possit amicisve auxilium ferre. Errare vero vehementissime mihi quidem videtur, si quis ex ea re, quod saepissime mortis nuntios audimus in tragoediis, velit efficere, vel sitam esse in malis vitae humanae depingendis artem tragicam, vel solacium posse comparari ipsis calamitatibus auditis maius quoddam quam nobile istud: Solamen miseris socios habuisse malorum.

Talia qui sibi persuaserit, plane confundere nobis videtur causam instrumentalem cum finali. Equidem censeo, affectus animorum eo tandem consilio debere depingi, ut pectus spectatorum quom quasi poenas vicarias dederint personae scenicae, libero quodam impulsu ductum meliora sequatur. Ergo ut *δράσαντι παθεῖν, παθόντι vero μαθεῖν* illic praescriptum est, sic nos audientes deceat *συνδρᾶν συμπάσχειν συμμανθάνειν*.

Conf. Aristoph. Ran. vv. 1008 seq. Totum illud inter Aeschylum certamen et Euripidem maxime valet ad veram ipsius antiquitatis de arte scenica cognoscendam opinionem, quae quom abhorreat ab Aristotelis placitis, ita tamen comparata est, ut etiam nostrae religionis possit prope satisfacere iudicio.

Ut vero tragoediae naturam non in dolore ac lacrimis, ita prorsus comoediae vim non in iocis ac ca-

villationibus, sed in eo consistere, ut iocando verum rectumque aperiatur existumo: quare si tragicum deceat poetam exemplis culparum propositis honestatis praecepta cuius mortalium communia tradere; comici contra hoc erit munus, ut cuiuslibet vel populi vel sexus vel ordinis vel factionis vel disciplinae perversa studia quom retexerit, ipse praeceptor existat veritatis. Aristophanis quidem unius integrae servantur comoediae: at est ille re vera Comicus, honesti discipulus, decori magister. Cf. Arist. Pac. vv. 736—764.

Nimirum illud bonum, quod non natura nobis omnibus traditum dotis cuiusdam instar divinae, sed mentis cogitatione et vitae usu atque experientia comparandum nobis et augendum videtur — id fortasse vocabimus decorum. Quod non ut honestum idem semper ubique manebit, sed pro variis vitae humanae condicionibus cumque mutatis temporibus et ipsum mutabitur: neque tamen ullo modo repugnare debet honesto, ne e decore fiat indecorum ac turpe. Non igitur mirabile quom Aristophanes certe nobis multa non sat decore lusisse videatur, si tamen ille mihi est *ἄριστος κωμφοδοδιδάσκαλος ἀνθρώπων*: siquidem Comici fuit suis consulere civibus, non saeculis post futuris. Deceptus quidem est Aristophanes sui temporis amplexus opiniones, nihilo tamen minus proprio *κωμφοδοδιδασκάλου* ac sanctissimo est iure usus, quom Socratem ut impium atque insanum criminatus est hominem, Euripi-

dis vero suavissimam facundiam ut nugas quasdam pueriles, quae non tragici poetae faciant officium, acerbissime illusit.

Quare si paucis comprehendero meam de rebus istis opinionem, hoc commune esse puto et tragici muneris et Comici poetae, ut non fumum e fulgore, sed e fumo lucem dare veritatis cogitet: fumi vero simillimos esse caecos illos pectoris humani affectus, quibus depingendis maxime vacant poetae scenici, quis infitabitur? Neque hallucinari nobis videatur, si quis ita rem se habere dicat: tragicum vatem velut verbi divini ministrum alta voce praecepta honestatis tradere exemplis bonorum morum et malorum ante oculos positus, comicum quasi ludi magistrum flagello Momi debere suscitare vel nugantium animos vel dormitantium hominum.

Quibus expositis minus iam erit difficile, satyris quoque quem debeant obtinere assignare locum. Welckerus (App. Tril. p. 331) Demetrium ducem sequitur, qui satyricam esse dixit *παίζουσαν τραγῳδίαν*. Propius accedit ad verum Tzetzes, qui minime quidem perspecta tragoediae natura haud inepte tamen de satyris ita disputavit: (περὶ κωμ. § 28) *σατυρικῆς δὲ τέλους τοιούτοις θυμελικοῖς χαριεντισμοῖς καθιδύνειν τὸν βίον*. Nimirum quom argumenta satyrorum fere simillima sint tragoediarum, ars vero satyrica distet aliquantum a tragica, hoc primum anquiramus: utrum magis conside-

20, 499 VII, 817: ὅσα μὲν αὖν περὶ γέλωτά ἐστε παίγνια, ἃ ἐπι
λεῖαν πάντες λέγουμεν... κίβδηλα τοῦ καλλίστου καὶ ἀειπέ-
του ἢ ἢ φάμεν πάντες καὶ ὄντως εἶναι τραγῳδίαν τῆν ἀειπέτου

randum sit nobis argumentum fabulae an ars ratioque poetae? Artem puto. Quare faciem argumenti mythici minus curabimus: artis formam pertinere ad comicum genus iudicabimus, nec tamen non admodum magnum interesse discrimen inter comoediam (Aristophaneam) et satyros. Satyri enim (quoad nobis licet conicere) paene nihil agebant, nisi ut iocis lepore lascivia detinerent delectarentque multitudinem. Idque mihi solum videtur satyricae artis proprium, nec dubitaverim omnes vel posterioris antiquitatis vel nostratum quas dicunt comoedias eidem assignare comici generis speciei, cui maneat per me licet cognomen satyrica. Quomodo autem factum sit, ut in capripedum locum Satyrorum paulatim successerit servorum meretricum parasitorum turba, hoc quidem loco longum est exponere.

Iam autem vereor ne summae adrogantiae reus dicar quom non contentus tribus illis vocabulis usitatis (tragoedia comoedia satyrica) quartum quoddam commendaturus sim: nimirum ut satyri non idem *τέλος* secuntur, verum tamen isdem fere quibus comoedia utuntur instrumentis — eadem lege probabile est tragici quoque generis esse speciem, quae tragico quodam apparatu instructa finem tragoediae haud ita assequatur.

Cedo exempla! dixerit aliquis. Ego vero vehementer vereor ne multo maior deprehendatur exemplorum numerus quam cupias. Nam nisi certis et invictis honestatis legibus uteris, fieri non potest quin rem affec-

tam relinquo vel ipse videre malorum undis prope demersus velut magiae studiosus ille Goethianus. Nam Oedipus Coloneus quem ad ipsum vitae finem haud pudet diras imprecari filiis nihil ad boni patris, nec Medea ad fidae coniugis officium valet adumbrandum, nec Phaedra suam culpam innocentis sanguine pueri extinguere cupiens imitanda videtur: atque omnino hoc etiam in nostratum poetarum fabulis saepissime usu venit, ut nodus optime conexus aut non dissolvatur aut dissecetur vehementius. Finis autem quom sit summa cuiusque rei et quasi caput, fieri non potest quin tragoedia ceteris fortasse abundans virtutibus quae tamen exitu careat iusto gratoque, deterioris esse notae videatur. Eius generis fabulas haud inepte vocaveris patheticas, quando quidem totae versantur in affectibus humanis depingendis nec salutare edunt ex se fructus honestatis. Eiusque generis Tragicos depingere potueris versibus Flacci (A. p. v. 32 seq.):

Aemilium circa ludum faber unus et unguis Exprimet et molles imitabitur aere capillos, Infelix operis summa, quia ponere totum Nesciet. —

Nec me fugit vix sufficere quattuor ista quae fecimus discrimina, sed cuiusque generis artis scenicae ternas intelligendas esse species. Recte enim admonet Horatius (A. p. v. 227), ne descendant satyri (quos ille quidem vulgari more adnectit ad tragoediam) ad infimam istam comici generis speciem, cuius exempla

praebent Atellana Romanorum et mimus. Quippe mimographi plebeculae cachinnos captaturi frequenter honestatem pietatem pudicitiam ludibrio babere, neque decorum non dirigere ad usum vitae communem et vulgarem quandam utilitatem audebant.

Similiter ubi pro virtute vel impotentem lubidinem vel procacitatem vel impietatem in severiore arte colueris, non tragoediam, ne patheticam quidem efficies fabulam — sed effeminatam et spurcam.

Ubi vero summam artis dignitatem pio animo tueris, paulo minus te decet morosam istam diligentiam in rebus pusillis collocare, qua fortasse critici cupiunt liberum tuum adstringere ingenium. Nimirum semper mixtas cum tristibus laetas res hominum vita procreat, et vehementissimas tempestates mox excipit grata quaedam *γαλήνη*. Thersites et ipse auget principum Graecorum dignitatem, neque Hercules ille (cf. Herc. Fur. v. 628 seq.) videtur ioca cum infantibus agens personae suae deesse gravitati. Imperat quidem ipsa rerum natura, tragicus ut inprimis sequatur dignitatem, comicus decus leporemque: uterque autem plurimum proficiet, quandocumque maiorem quendam effectum ars eius requirit si commutaverit vel cum socco cothurnum vel vice versa — incredibilis enim e novo atque insperato nascitur voluptas. Nec non legitimus eiusmodi dolus nominari potest, siquidem e communi fonte ortum

rursus amat coire utrumque genus: cuius rei exempla
luculentissima praebet Alcestis Euripidea.

Nunc quom quaerere velis, cuiam fabularum ge-
neri sit adscribenda nostra, tria tibi erunt capita dis-
putationis distinguenda. Primum ipsius *μῦθου* consi-
derabis indolem ac naturam, tum Euripidis exigis fa-
bulam ad circumscripti modestique iudici rationem: de-
nique testimonia veterum huc pertinentia diligenter
excuties. —

I. Et *μῦθου* quidem examinans, licet rudis materiae
omnino sit simile argumentum, quod ad varios flecti
possit usus: vix infitiaberē dignissimam cothurno no-
stram esse fabulam.

Nam quercum ubi caesam videris, non qua flamma
nutriatur, sed navibus vel aedibus extruendis quaesi-
tam esse materiam censebis: ac si qui *μῦθος* gravis-
sima canere honesti praecepta videatur, haud ita facile
credas poetam veritatis studiosissimum comoediam vel
satyricam effecisse.

Μῦθος autem (cf. Apollod. I. 9, 17. III, 6, 4. Hyg.
c. 50. 51. Schol. Pind. Nem. p. 424 Böckh) sic est
comparatus, ut non fidei certamen inter maritum et
uxorem proponatur, sed potius quantopere cultus Apol-
linis, qui homines hospitalitatem et liberum doceat amo-
ris officium, praestet saevis illis Telluris atque Infero-
rum sacris, luculentissimo exemplo demonstretur. Id
quod Hermann accuratius exposuit, (praef. ed. Monk.

praem. p. XIII. s.) qui tamen nonnulla videtur de suo admiscuisse minus probabilia.

Admetus hospitis adiutus auxilio Apollinis Alcestin Peliae filiam a plurimis precis petitam ipse domum deduxerat: mox quom ob neglectum Dianae (sive Hecates) numen moribundus iaceret, Apollo a Parcis impetravit, ut alium pro eo mori paterentur.

Alcestitis dein voluntaria morte placati sunt Inferi.

Haec quidem antiquissima *μύθου* forma fuisse videtur. Nec tamen Herculis persona non satis commode postea videtur addita, quom donatam divi hospitis beneficio coniugem hospitis Herculis officio recuperet Admetus. — Pheres nil aliud nisi regionem illam Thesaliae significat in qua Admetus regnavit. Qui non ausus pro filio mortem obire illud videtur enuntiatum confirmare, proximam propinquitatem sanguinis nonnunquam infirmiore apperere sancto quodam amoris amicitiae vinculo. Quod argumentum in primis aptum videtur ad usum poetarum: quos cum deceat (cf. Plat. de leg. II, 6) populum docere, ipsius Fortunae victricem extitisse Virtutem, plurimum, opinor, iuverit, in tali exemplo periclitari, quo felicitas quasi catenis vincata vestigia virtutis premit. Nec solum ad poetarum, sed ad tragicorum usum prorsus conformatum esse hunc *μύθου* contendo: siquidem e neglecto Dianae numine capitis periculum nascitur Admeto, tum vero illi, qui ne in summo quidem luctu hospitis deesse est dig-

natus, praemium virtutis rediviva redditur uxor. In eo autem, quod pro ipso mortem obire coniugem maritus passus est, minime offendet qui veterum de capite mulieris cognoverit placita. (Cf. Iph. Aul. v. 1394. Aristot. Pol. I, 5. Schn.=12 Bekk. Poet. XV, 3.)

II.

Iam Euripidis evolvamus Alcestin sententiam la-
turi de arte poetae. Desiderabis profecto Aeschyleum
cothurnum — licebat nimirum poetae non quasi fortui-
tum aliquem casum (quo semper minus affliguntur
animi) enarrare morbum Admeti, immo fingere nimio
quodam nuptiarum studio correptum regem sanctissi-
mum Dianae numen neglexisse. Tum Orci persona
non importunas cum Apolline simultates exercere, sed
ad similitudinem quandam accedens Eumenidum ius-
tam sceleris poenam vindicare debebat. Choro vero
suppeditabatur egregia sententiarum materia, si opti-
mus rex Admetus tamen et ipse intemperantiae reus
exstitisset, Alcestis autem (cuius nimio amore occaeca-
tus coniux sollemne sacrum omiserat) amantissimum
maritum optimum regem mulieris causa praematuram
obire mortem dedignaretur. Admeti condicio facile
sic poterat depingi, ut languescens corpore semimortuo
cordatam cohibere coniugem non iam valeret: porro
si patris (quem senili quadam morositate acerbitateque
praeditum et ad priscorum exemplar Romanorum in
ipsos filios animadvertentium commode fingemus) seve-
ras criminationes aequo tulisset animo, neque in sum-

mis malis miseriisque ipsius solitudinem excusasset hospiti tum dignissimus erat rex Admetus, ad quem deinceps redundaret omnis deorum gratia.

Ex Admeti autem persona pendet totius fabulae condicio. Quodsi recte contenderent Glum Köchly alii prorsus ignavum et abiectum ingenium deprehendi regis Pherarum: tum quidem Euripidis fabula minime ad tragicum genus referri deberet, quo ei celebrantur homines, qui quom spreta vulgari consuetudine maiora sequantur, ne delirantes quidem abiciant nostram generis humani maiestatem. Atque quamvis multo minorem in Admeti moribus quam oportebat curam collocaverit poeta, hoc recte contendunt Bendixen et Minckwitz⁸⁾: nullum exstare vestigium, quo concludatur consulto ab Euripide depressam esse eam personam: quin satis apparet ex Apollinis laudibus (v. 10 cf. *δοίου γὰρ ἀνδρὸς δειος ὦν ἐτύχχανον* — vv. 601—605, 809 al.), qualem sibi finxerit Euripides Admetum. Qua vero ratione apte potuerit augeri atque illustrari regis Pheraei persona, et W. Goethe in ea fabula quam Deos heroas et Wielandium inscripsit simulans ille quidem se Euripidis dicere causam demonstravit, et nosmet ipsi secundum Aeschyleae artis rationem paucis delineare conati sumus.

8) Des Euripides Dramen. Verdeutscht v. Minckwitz. Einleit. s. Alkestis.

Una tamen prae ceteris notari debet scena, quam omnino nequeamus excusare: putidam dico illam inter patrem et filium altercationem.

Ingenium autem poetae *ne hic quidem latet*: nam revera cogitari potest, hominem maluisse senio patris quam suavissimo flore coniugis carere. Quam tamen naturae humanae imbecillitatem tam inepte auxit Euripides, ut quem produxit maritus coniugis amore occaecatus acerrime patri convicietur ac ne postea quidem ullo modo pietas reparetur. Licet quidem conicere adeo vacillasse iam illo tempore boni moris consuetudinem, ut vix abhorreret ab usu vitae turpissima impietas: nec dubitaverim equidem affirmare poetam, non quo vilem plebeculae sed quia veri studio abreptus vulgarem vitae veritatem pro pulcro bonoque usurpaverit *captaret gratiam*, peccavisse. Habemus igitur patheticae speciei specimen clarum istam scenam, quae quom possit facili negotio excludi — commemoratus vix semel postea pater Pheres haud valet ad totius fabulae conditionem deprimendam.

Alcestidis partes egregie descriptae (ut saepissime potior apparet in mulierum moribus depingendis poeta) debilitant quidem quodam modo alterius personae gravitatem, edocent autem non solum Latonae filius, sed quem fidissimum habemus poetarum scenicorum interpretem, etiam chorus ipse (cf. inprimis nitidissimum *στάσιμον* v. 569—605) quemvis sana mente praeditum:

summa suavitate liberalitate facilitate certe quidem eum fuisse, cui di hominesque perpetuam amicitiam, pulcherrima vero coniux vel mortis gratificari voluntatem esset dignata. Licet igitur exprobremus domesticas illas rixas nimis exaggeratas, ante Herculis tamen interventum ne minimam quidem comici generis suspicionem posse indagari profitebimur nec pili faciemus doctiorum somnia virorum. Istam autem Herculis personam ita esse comparatam, ut primo obtutu paulum videatur recedere a tragica consuetudine — quae res quo modo possit expediri unus quisque ex eis quae supra iam significavimus (cf. p. 17.) facili negotio divinabit — multo libentius concedemus.

Nam quom hilarior paulo videatur quam gravior Herculis persona ministro exprobrantis perversam istam morositatem quae minime valeat ad mortalium aerumnas sustinendas: elucet tamen heroici nescio quid ex ipsa comissantis semidei vociferatione.

Quale vero et quantum intercedat discrimen inter humanam facilemque Herculis doctrinam (cf. v. 781—802), cuius simillima canunt praecepta sexcenties Graeci poetae et Latini — et satyricam theologiam Cyclopi (cf. Cycl. 16 seq.) ingenuè professi pro Iove Optimo Maximo suum se colere ventrem: nemo non videt qui minus ad vocabulorum quorundam similitudinem quae sitam, quam ad aperta sententiarum lumina et ad di-

stinctum illum orationis tragicae colorem eius modi quaestiones exigendas esse censet.

Equidem non dubito quin subscribam sententiae Hermanni, haec dicentis (diss. ed. Monk. praem. p. X.): Ille igitur Hercules, quid mirum, si qua est animi simplicitate, facile persuaderi sibi patitur alienam mulierem sepeliri? Immo convenienter id moribus suis facit, ut qui vagus per orbem terrarum, uniceque pugnas et proelia cogitans longe a domesticis curis abhorreat. Neque vero quod qui ei minister additus est, intemperantior in cibo potuque capiendo esse narrat, de dignitate viri quidquam detrahit: non enim minus polito mores continuo etiam inhumani sunt: quomque ipse deinde foras egreditur, non ebrius est, sed paullum incaluit vino, nec stolidam atque absurdam loquitur, sed quae etiam sobrius sentiat, qui inter mortis pericula vitam agens praesentia tantum sua esse intelligat. Esse autem eam hilaritatem non levitatem hominis vani atque voluptatibus dediti, mox apparet ubi Alcestin esse cuius mortem lugeat Admetus, comperit. Ibi vero tanto splendidius elucescit magnanimi herois virtus, quo remissior ante et socordior esse visus erat. Indignatus enim, quod hospitis, a quo in tanto sit luctu exceptus, pietatem importuno festivae potationis strepitu remuneratus sit, nihil non audere quo expiet illud scelus constituit, rectaque vel ipsis inferis ereptum mulierem proficiscitur.

Quibus Hermanni dictis pauca me addere oportet, siquidem non omnia tam plane leguntur apud Euripidem, quam illius verbis concluderis. Legimus enim Herculis (v. 524) responsum illud satis mirum: οἶδ' ἀντί σου γε καταναεῖν ὑφειμένην.

Quodsi imminens periculum cognoverat, tum certo hospitis erat ilico ferre auxilium vel consilia consociare cum amico—cur autem non prorsus ignarum istius calamitatis introduxerit poeta, ego non video. Omnia autem praeter importunos quosdam versiculos (v. 520 ad 530) quom optime quadrent ad Hermannianam illam Herculis descriptionem, facile credam paulisper dormitavisse Euripidem. Quid est, si moribundam minime curavit, cur pro mortua properet Hercules vitam periclitari femina? Nostratibus autem viris doctis de Admeti persona litigantibus sane haud contemnendi sunt isti versiculi: Hercules enim heroum longe fortissimus ipse minime offendit in eo quod maritus non aspernatus sit uxoris uti bene officio.

Hercules igitur ille verae nobis exemplum praebet gravitatis, quae facilis semper apparet et segura. Nimirum ut is, qui quotidie fere contracta fronte assidet, multo minus quam illi, quibuscum ioca seria perinde agas, tibi dulcis videbitur amicus — ita prorsus reges atque heroes tragicos, quibuscum possis conspirare (i. e. quod supra vocavimus *συνδράῃν*), quam proxime ad humanam vitae consuetudinem decet accedere.

Quae Herculis humanitas quo elegantior evadat, exodum fabulae pulcerimam excogitavisse videtur Euripides. Scite heros noster ludificatur amicum idem in gratiis referendis fidissimo amico et repetendis poenis benevolentissime dissimulans.

Illos autem Herculis dolos non temere damnandos esse quasi a tragoediae severitate prorsus alienos, iam Hermann (diss. p. XI) intellexerat quamvis aliter ac nos sentiens de tragoediae finibus.

Qui de tota fabula tale quid proferre ausus est (diss. p. VIII.): Hercule detracto nihil vigoris, nihil roboris, sed molle dumtaxat et flebile carmen relinquitur, elegiae potius quam tragoediae speciem habens. — At paulo post ille idem „ita ut ingenium moresque quales tragoedia requirat, in sola inveniamus Alcestide.“

Nonne haec frontibus adversis sibi repugnant? Herculem spectans tragoediae summam in virili quodam robore, Alcestin dein cogitans in sola generositate sitam esse censet. Illud quod dicit molle ac flebile ab ipsa quoque Alcestide proficisci concedit: rixam autem istam domesticam (quam duriolem fortasse vocaveris quam molliorem) magis etiam respuere videtur. Quae tandem relinquitur norma quaesiverim, ad quam possimus dirigere iudici nostri rationem?

Ego vero (licet non ita ut Minckwitz et Hartung Euripidea omnia laudata velim) non multum a vero

nos aberraturos esse spero, si totam hanc vindicabimus tragico generi fabulam eis dumtaxat versibus quibus honestatis leges impune neglectae videntur ad patheticam speciem detrusis. Desideratur quidem iudici maturitas: redolet tamen urbanam quandam facilitatem tironis opus poetae, a quo docta est fabula ol. 85, 2.

Reliquum est ut veterum colligamus testimonia. III.
Legitur autem in hypothesis post notam didascalicam: τὸ δὲ δράμα κωμικωτέραν ἔχει τὴν κατασκευήν. (sunt autem qui legere malint καταστροφήν.) deinde inferius: τὸ δὲ δράμά ἐστι σατυρικώτερον ὅτι εἰς χαρὰν καὶ ἡδονὴν καταστρέφει. παρὰ τῶν γραμματικῶν ἐκβάλλεται ὡς ἀν-οίκεια τῆς τραγικῆς ποιήσεως ὃ τε Ὀρέστης καὶ ἡ Ἄλκηστις, ὡς ἐκ συμφορᾶς μὲν ἀρχόμενα, εἰς εὐδαιμονίαν δὲ καὶ χαρὰν λήξαντα, ἃ ἐστι μᾶλλον κωμωδίας ἐγόμενα.

Licet non ab eodem sit profectum grammatico utrumque iudicium, nobis satyros ad comicum genus referentibus non disiungenda est quaestio: hoc vero luce clarius apparet ex illis ἐκβάλλεται κ. τ. λ. vulgo tragoediam habitam esse Alcestin. Inde recta devenimus via ad iudicium Glumi (diss. p. 51): „multum valet hoc argumentum ad explodendam eam, nonnullorum opinionem, qua poetas antiquos non certasse autumant nisi tetralogiis definita quadam ac certis legibus adstricta compositione formati.“ —

Nimirum si licuisset ad satyricam fabulae conditionem demonstrandam, ecquis credat grammaticos illos

non abusuros fuisse gravissimo argumento ex ipsius tetralogiae compositione petendo?

Glum vero cur nihilo minus prope ad satyros compingendam statuat esse Alcestin, difficillimum est explicatu: siquidem comparatis similibus scholiastarum sophismatis quantum tribuere liceat istiusmodi argumentationibus satis superque edocemur.

Cf. hypoth. II. Orest. *ιστέον δὲ ὅτι πᾶσα τραγωδία σύμφωνον ἔχει καὶ τὸ τέλος· ἐκ λύπης γὰρ ἄρχεται καὶ εἰς λύπην τελευτᾷ κ. τ. λ.*

Schol. Or. ad. v. 1686: *Τοῦτο τὸ δράμα ἐκ τραγικοῦ κωμικόν· ἐκ γὰρ συμφορῶν εἰς εὐθυμίαν κατήντησεν. Ἄλλὰ καὶ ἐν Ἀλκῆστιδι ἐκ συμφορῶν εἰς εὐφροσύνην καὶ ἀναβίωσιν, καὶ ὁμοίως καὶ ἐν Τυροῖ Σοφοκλέους ἀναγνωρισμὸς κατὰ τὸ τέλος γίγνεται καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν πολλὰ τοιαῦτα ἐν ταῖς τραγωδίαις εὐρίσκεται.*

Or. argum. cod. Flor. *Τὸ δὲ δράμα τῆς Ἑκάβης καὶ τοῦ παρόντος δράματος τὸ τέλος ἀπὸ πένθους ἄρχονται καὶ λήγουσιν εἰς χαράν.*

O fortunati grammatici, qui confidentissime nos prava docere audeatis iurantes in magistri verba! Recordati fortasse sunt grammatici locum Aristotelium (Poet. 13, 4.) p. 1453a, 12 sqq.: *ἀνάγκη ἄρα τὸν καλῶς ἔχοντα μῦθον — — μεταβάλλειν οὐκ ἐν εὐτυχίαν ἐκ δυστυχίας, ἀλλὰ τοῦναντίον ἐξ εὐτυχίας ἐς δυστυχίαν.* Quae tamen argumentatio quousque insaniae procedat, perspicitur ex Hecubae exemplo: scilicet quia dirissim^a

voti compos facta est mater Polydori, comoedia erit fabula! Eadem autem lex valebit in Medeam: nam et illa femina perfidum ulta est maritum. Nec dubitavit Glum in thesibus contendere, Antiopam et Bacchas ipsas vices dramatum satyricorum tenuisse. Quis iam mirabitur fuisse olim (cf. Tzetzes *περὶ χωμ.* S. 26.) qui vel Sophoclis Electram eodem referrent: quin amplissimus existet satyrorum ordo. Nimirum Philoctetes, Tyro, ne dicam Oedipum Coloneum, porro Alcestis, Bacchae, Medea Hecuba, Ion, Orestes, Helena, Heraclidae, Supplices, Iphigenia utraque et aliae transfugient ad satyrorum castra fabulae fortasse plus viginti, Aeschyli vero ars multum vereor ne tota desiliat ad comoediae cachinnos. At cur *γλαῦκας Ἀθήνας*?

Singularis enim de Alcestide vix admittitur quaestio — sed aut scholiastas duces secutum plurimas tragicorum fabulas transcribere te oportebit in comoediarum satyrorumque tabellas, aut nostra tibi amplectenda est sententia, tertium non datur. Neque inepte comparavit Bendixen (p. 19) complures locos Aristophaneos (Ach. v. 893; Thesmoph. 194; Av. 1244), quibus eodem plane iure carpitur Alcestis atque aliae Euripidis tragoediae. Neque absurdum videtur conicere tetralogiam nostram eo consilio esse conscriptam, ut tribus fabulis (Alcmeone Telepho Alcestide) celebretur sanctissima hospitalitatis fides, quibus opponatur taeterrima mensae Thyesteae fama.

Quartum et gravissimum exstaret disputationis caput, si quae idem tractaverant argumentum Phrynichi — Sophoclis fabulae tempus tulissent. Habemus autem quasi lacinias sex septemve versiculos (Phryn. fragm. 2 et 3, Soph. fragm. inc. 766 et 825 N.), quibus non venit mihi in mentem doctorum quorundam more hominum abuti. Minus etiam curabimus Ennianas quasdam Laevianasque reliquias nec, si forte cognominem scripserit Antiphanes, comoediam.

Atque omnino quom ad summam rem investigandam viribus uti intentis nos deceat (neque erravisse nos pudebit, dummodo veritatis studiosi iudicemur), in minutis reconditisque quaestiunculis semper recordabimur illud: »est quaedam ars etiam nesciendi.« —





Quartum et gravissimum exstaret disputationis caput, si quae idem tractaverant argumentum Phrynichi (Sophoclis fabulae tempus tulissent. Habemus autem quasi lacinias sex septemve versiculos (Phryn. fragm. 2 et 3, Soph. fragm. inc. 766 et 825 N.), quibus non venit mihi in mentem doctorum quorundam more hominum abuti. Minus etiam curabimus Ennianas quasdam Laevianasque reliquias nec, si forte cognominem scripserit Antiphanes, comoediam.

Atque omnino quom ad summam rem investigandam viribus uti intentis nos deceat (neque erravisse nos pudebit, dummodo veritatis studiosi iudicemur), in minutis reconditisque quaestiunculis semper recordabimur illud: »est quaedam ars etiam nesciendi.« —





1. The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions and activities. It emphasizes that proper record-keeping is essential for transparency and accountability, particularly in the context of public administration and government operations. The text highlights how detailed records can help identify inefficiencies, prevent fraud, and ensure that resources are used effectively.

2. The second part of the document focuses on the role of technology in modern record-keeping. It explores how digital systems and software solutions can streamline the process of data collection, storage, and retrieval. The text notes that while technology offers significant advantages, it also requires careful implementation and ongoing maintenance to ensure data integrity and security. The importance of training staff to use these systems effectively is also mentioned.

3. The third part of the document addresses the challenges of data management and privacy. It discusses the need to balance the benefits of data collection with the protection of individual privacy rights. The text references various regulations and standards that govern the handling of personal information, emphasizing the importance of clear policies and procedures to ensure compliance. It also touches upon the risks of data breaches and the potential consequences for organizations.

4. The fourth part of the document discusses the importance of regular audits and reviews of record-keeping systems. It explains that periodic assessments can help identify areas for improvement and ensure that the systems remain up-to-date and effective. The text suggests that audits should be conducted by independent parties to provide an objective evaluation of the system's performance and compliance with relevant standards.

5. The fifth and final part of the document provides a summary of the key points discussed and offers some concluding thoughts on the future of record-keeping. It reiterates the importance of a proactive approach to data management and the need for continuous improvement. The text concludes by encouraging organizations to embrace change and innovation in their record-keeping practices to stay competitive and efficient in the modern era.



1. The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions and activities. It emphasizes that proper record-keeping is essential for transparency and accountability, particularly in the context of public administration and government operations. The text highlights how detailed records can help identify inefficiencies, prevent fraud, and ensure that resources are used effectively.


2. The second part of the document focuses on the role of technology in modern record-keeping. It explores how digital systems and software solutions can streamline the process of data collection, storage, and retrieval. The author notes that while technology offers significant advantages, it also presents challenges such as data security, system integration, and the need for staff training. The text suggests that a balanced approach, combining traditional methods with digital tools, is often the most effective strategy.

3. The third part of the document addresses the legal and regulatory requirements surrounding record-keeping. It discusses various international and national standards, such as ISO 15489, which provide a framework for managing records throughout their lifecycle. The text also touches upon the importance of data privacy laws, such as the GDPR, which impose strict rules on how personal information is handled and stored. Compliance with these regulations is not only a legal obligation but also a key factor in building trust with stakeholders.

4. The fourth part of the document examines the cultural and organizational factors that influence successful record-keeping. It argues that a strong commitment to data integrity and transparency must be fostered at the organizational level. This involves clear communication, consistent policies, and a focus on continuous improvement. The text also mentions the importance of involving all employees in the process, as their cooperation is crucial for the success of any record-keeping initiative.

5. Finally, the document concludes by summarizing the key takeaways and offering practical recommendations. It stresses that record-keeping is not a one-time task but an ongoing process that requires regular review and updates. The author encourages organizations to stay informed about the latest trends and technologies in the field and to adapt their practices accordingly. By following these guidelines, organizations can ensure that their records are accurate, secure, and accessible, ultimately leading to better decision-making and improved performance.






**This book should be returned to
the Library on or before the last date
stamped below.**

**A fine of five cents a day is incurred
by retaining it beyond the specified
time.**

Please return promptly.



Ge 36.965

De Alceste Euripidea.

Widener Library

007160449



3 2044 085 118 164